

31

Q. F. F. Q. S.

24

# SYNOPSIS LOGICÆ,

DISPUTATIO TERTIA,

Complectens doctrinam, Relationis, Accidentium mixtorum & secundariorum, distributionis Logicæ; nec non Initium Partis Essentialis de Argumento in Genere, atq; in specie agens de Causa Efficiente, Materiali & Formali.

*Quam*

PRÆVIA GRATIA DIVINA!

*Annuente Ampl. FAC. PHIL.*

In Regiâ Academiâ Aboënsi,

PRÆSIDE

M. SIMONE *Σαρο*

Met. & Log. Prof. Ord.

*Candide eruditorum censura ac examini  
modestè sistit*

JONAS *Κρεδωσ* Wex:Smol.

*In Aroasterio Acad. Max.*

Addiem, DEO juvante, 17 Febr. A. 1694.

---

EXC. apud JO. LAURENTII WALLIUM.

*M. W. Wallius*

13  
Dhe

Ähreborne/ Hög- och Wälach-  
tade Herrar/

Sampteligen Wälförständigige och För-  
näähne Kiöp- och Handels- Män vthi  
denna berömliga Stapel-Staden

A B D /

Herr Hans Wittfoot/

Herr Johan Spieker/

Herr Niclas Schult/

Herr Gustaff Wittfoot/

Mine tilförlätelige Gynnare/  
sampt gunstiae och wälbewägne  
Befordrare/

Offreras och dediceras  
detta Proof

Tienst-ödmueth.

# DEDICATIO,

**H**Wem som iag denna Skriff nu  
måst tillskrijs wa borde/  
Har iag mig wäl bekant/ om  
iag thet elliest torde;  
Iag menar fuller Ehr/ som mig alt  
godt haa giort/  
Och Ehr förnähme Slächt/ som har  
mig hulpet fort;  
Fast än iag intet kan för alt nu Ehr  
belöna/  
Doch see I Willian min som iag här  
låter röna;  
I dy iag wijsar Ehr/ och lämnar  
hoos Ehr qwar  
Et Proof af den Respect, iag städse  
för Ehr har.  
Betala lijkt med lijkt/ är iag wäl  
plicktig göra/  
Men som iag mächtar en der hån min  
willia föra/  
Det iag wäl önskat har/ och wara  
bordt min plickt/  
Ut iag rätt kunde Ehr betala lijkt  
med lijkt;  
Doch

Doch hoppas iag at J/nu denna gången  
lagen/  
Så at min ringa Skriff/blijr wäl hoos  
Ehr vptagen/  
Fast hon ey wäger jämt moot det J  
hafwen giort  
Mig sedan iag kom hijt/ til denna Fin-  
ska Ort;  
Iagh önskar til ett Slukt/ at iagh nu  
stådse Eder/  
Så gunstige som för;/ må finna/ ock så  
beder  
At J/med Eder Slächt/ må groo och  
grönskas här/  
Det är och wara skal alt framgeent  
mitt Begär!!!

Af

J. Wredahl.

## CANONES.

1. Qualitatum propriè est contrarietas; ut caliditas contraria est frigiditati, albedo nigredini, virtus vitio, amor odio, gaudium tristitia &c. v. c. 1. de qualitate reali, non intentionali; hinc in eodem speculo, aut corpore *Αλφάω* herent diversi colores sine omni pugna; quia sunt qualitates intentionales. 2. præcipue de 1. & 3. qualitatis specie: sic virtus contrariatur vitio, bonum malo; sic contrariantur sapor dulcis & amarus, humor & siccitas, durum & molle, vox canora & fusca, acuta & gravis.

2. Qualitas recipit magis & minus. v. c. 1. de tribus qualitatis speciebus, non de quarta. 2. de qualitate non tantum in concreto, sed etiam in abstracto. Exempl. de habitu: Artium notitia illustriores sunt in Senibus, quam in Juvenibus; quia Senes diu res easdem cogitarunt, sursum ac deorsum volutarunt, & quasi evolutæ, intus contemplati sunt; ideo Senum Artificum iudicia certiora sunt, & longè anteponenda juvenilibus cogitationibus. Exempl. de Potentia Naturali, quod ea respectu diversorum subjectorum magis & minus recipiat, satis superque evincunt habitus superinducti, eruditionis,

virtutis, &c. qui apud quosdam sunt exquisiti-  
 ores, apud nonnullos verò remissiores. Exempl,  
 de Patibili qualitate: sic lux nunc major est  
 nunc minor; odor modò magis modò minus  
 est fragrans, vel fœtidus. Crassities, molliti-  
 es modò major, modò minor est. E. g. non  
 enim eantum dicitur calidum, calidius, cali-  
 dissimum; humidum humidius humidissimum,  
 sed dantur etiam gradus caloris, justitiæ, al-  
 bedinis, fortitudinis, quibus minus compete  
 caloris, justitiæ, albedinis, fortitudinis defini-  
 tio, quibus magis.

3. Qualitate solâ res dicuntur similes  
 vel dissimiles. v. g. *Demosthenes & Cicero*  
*sunt similes ratione Eloquentiæ. Lea & Rabel*  
*dissimiles formâ.*

**RELATIO** est accidens, cujus totum  
 esse infert respectum ad aliud.

Relata vero sunt quæ ad se mutuò  
 referuntur.

Sunt autem Relata:

1. *Alia secundum esse*, quorum essen-  
 tia nihil aliud est, quam ad aliud esse  
 affectum; ut *Pater & Filius, Maritus &*  
*Marita, Præceptor & discipulus*. *Alia secun-*  
*dum dici*, quorum alterum sine altero  
 exi-

existere ac poni potest; ut *scibile & scientia, visus & color, ala & alatum, sonus & auditus, mensura & mensurabile.*

2. Relatio alia est *realis*: ut inter *Dominum & servum*; Alia *rationis*, quæ tantum concipitur esse: ut *inter genus & speciem, notationem & notatum; definitionem & definitum. distributionem & distributum, dextrum & sinistrum in columna vel pariete.*

3. Alia est *mutua, vel realis* ab utraque parte, ut *inter Regem & Subditos, Tutorem & Pupillum, Emptorem & Venditorem, Pastorem & Auditores, Hospitem & Hospitem.* Alia *non mutua, ab una parte realis, ab altera rationis*, ut *inter Creatorem & Creaturas, volitionem & volibile, fidem & credibile, motum & mobile, statuum Mercurialens & dia, lapidem & agrum.*

4. Alia *equiparantia*, ut *inter amicum & amicum, socium & socium, fratrem & fratrem; similitudinem, equalitatem, identitatem, &c.* Alia *Disquiparantia*; ut *inter Dominum & servum, Magistratum & Subditum.*

In relatione requiritur 1. *Subiectum*, quod est substantia, cui aliquid accidit ad aliud referri, ut *Aristoteles*, *Alexander Magnus*. 2. *Fundamentum*, quod est aliud aliquod accidens cui relatio innititur: (Tam debile enim accidens est relatio, ut subiecto inesse non possit, nisi alio fulciatur & sustentetur) ut *eruditio* & *capacitas ingenii*. 3. *Relatum* quod ad aliud refertur; ut *Præceptor*. 4. *Correlatum*, ad quod aliquid refertur; ut *Discipulus*. 5. *Terminus*, id quod relationem terminare aptum natum est: ut (vocabulo barbaro) *discipuleitas*. Relatio verò ipsa *Præceptoreitas*. E.g. *Cœna Domini* est relatio; *Hujus* 1. *Subiecta* sunt *panis* & *corpus Christi*, absolute sive ratione substantia considerata. 2. *Relatum* est *panis*, non quatenus est *panis* (nam sic est subiectum) sed quatenus est signum exhibitivum corporis Christi. 3. *Correlatum* est *corpus Christi*, non quatenus est *Corpus* (nam hoc respectu & illud est substantia) sed quatenus est signatum, sive res exhibenda communicantibus in S. *synaxi*. 4. *fundamentum* est *institutio* sive *ordinatio divina*



*dina. s. Terminus est recordatio mortis Christi. Idem valet de conjugio: &c.*

CANONES.

1. Relata sunt convertibilia; ut Sponsus est Sponsa Sponsus, Sponsa est Sponsi Sponsa; emtor est venditoris emtor, & venditor emtoris venditor.

Nota: Valet canon de Relatis non in casu recto, sed obliquo. e. g. non licet dicere: Pater est Filius, & Filius est Pater; sed sic: Pater est Filii Pater, & Filius est Patris Filius. Discipulus est Praeceptoris discipulus. & Praeceptor est Discipuli Praeceptor.

2. Relata sunt simul natura. scil. secundum esse respectivum, relativum seu formale: sic simul sunt Dominus & servus, Praeceptor & discipulus. contrahentes de deposito, de mutuo, de pignore &c. Non Absolutum, ita Abraham quidem fuit prior Isaaco, non tamen fuit prius Pater quam nasceretur Isaacus. sic secundum esse absolutum seu fundamentale, potest unum relatorum esse superstes, altero sublato, ut filius mortuo Patre & vice versa Pater emortuo filio, Discipulus Praeceptore, praceptor discipulo, &c. hinc

*Canon: Sepe manent Fundamenta extinctis Relationibus.*

*Nota: Dicitur simul duobus modis. 1. Natura, ut Dominus & servus, Pater & filius, vir & uxor, homo & bestia, 2. Tempore, ut Abrahamus & Lotus, Aristoteles & Plato, Scipio Africanus & Lalius.*

**ACTIO** est accidens, secundum quod aliquid agere dicitur, ut docere, disputare, scribere, ambulare, edere, bibere, ludere.

*Actio est immanens vel transiens.*

*Actio Immanens est, quæ in subiecto agente recipitur; ut intellectio, volitio, amatio, visio, auditio, gustatio, olfactio, simplicium cognitio in intellectu, numeratio, compositio & divisio, ratiocinatio, iudicium. &c.*

*Transiens est, quæ in externo patiente recipitur; ut ignis calefacit aquam, aqua frigefacit manum, Macheropaus cudit gladium, Sutor consuit calceum, Sartor conficit vestem.*

*Nota: Non omnia activa Grammatica reponuntur in Categoria Actionis: v: g: amare, odisse, timere, sitire, invidere, sunt passiones. Neque omnia verba in or desinentia pertinent ad passionem, e: g: loquor, paciscor, vescor,*  
gra-

*gradior, proficiscor, polliceor, intueor, medeor, sunt actiones.*

## CANONES

1. Omnis actio suscipitur propter finem, *Sic ignis agit in aquam ut eam calefaciat. sic formica tempore aestivo grana colligunt, ut habeant alimentum in hyeme. ita hirundines lutum & stramina comportant ut inde nidos exaedificent.*

Nota: Excipiuntur à canone Actiones DEI immanentes; ut gignere, nasci, procedere, quia sunt ipse DEUS & essentia divina, quae causas agnoscit nullas.

2. Actio propriè competit solis substantiis. Scilicet tanquam principis radicalibus & principis quod; non vero semper tanquam principis proximis. E: g: visio quâ Beati Deum videbunt in vita aeterna, est suppositorum hominum scilicet beatorum, tanquam principiorum quod & radicalium; est etiam oculorum seu principiorum quo & proximorum. sic homo est is, qui sentit, intelligit &c. anima vero est ea quâ sentit, intelligit. ita non solum ignis tanquam suppositum, sed etiam calor seu occidens, calefacit. sic omnis actio dicitur esse à forma, tanquam principio quo, à toto vero supposito, seu à principio quod. PAS-

PASSIO est actionis receptio, secundum quam aliquid pati dicitur, ut *calefieri, vapulare, doceri, amari, vulnerari.*

Passio est perfectiva vel corruptiva.

*Perfectiva* est, quâ perficitur patiens; ut *discere, sentire, intelligere, consultare, videre, disputare.*

*Corruptiva* seu *Destructiva* est, quâ læditur & destruitur patiens; ut *uri, verberari, morbo laborare, émori.*

## CANONES

1. Passio præsupponit actionem; sic *qui vapulat ab alio, omninò sentit quod alius sit qui eum verberat. ita aqua cum calefit, præsupponit ignis actionem, qui in eam agit.*

2. Passiones sunt suppositorum. *vide sis Can. 2. de actione. Ex hoc Axiomate, ita argumentamur contra Calvinistas: Passiones sunt suppositorum, atque non caro, sed ipse filius Dei est suppositum; ergo non caro (intellige immediate & primariò) sed ipse Filius DEI est passus.*

3. Passio recipitur non tam ad modum agentis, quam ad dispositionem pati-

patientis. *alias sic effertur: Receptivum recipit, non per modum imprimentis, sed per modum suæ receptivitatis. v. c. de patiente respectu agentis non infiniti, sed naturalis. ita DEUS potest facere superabundanter ultra omnia quæ intelligimus Sc. Eph: 3. 20. sic aqua è Petra & Asini mandibula effluit. Sc. Exompl. de agente naturali; sic quercus à vehementi turbine impeti potest & tamen non moveri. ita sol dealbat capillum, cutem nigrescit, desiccatur lutum & resolvit vel liquefacit Butyrum, Ceram &c.*

*Nota: Vim Canonis in argumentando non esse necessariam, sed probabilem; ut plurimum verò efficacem. Sic agricola non semper tantum frumenti terræ committit quantum capere potest. Crumena recipit nummos non secundum suam receptivitatem, sed conditionem dantis.*

4. Passio (sicut & actio) recipit contraria: item magis & minus; scil. ratione qualitatum: sic calefactio passiva in aqua modo major modò minor est. Ager aliquando levius, aliquando gravius decumbit. fideles modò ardentius, modò remissius diligunt DEUM.

Quando est accidens, habitudinem ad rei finitæ durationem inferens, ut, *hodie, heri, nudius tertius, perendie*.

*Nota:* Huc pertinent omnia illa, quibus ad interrogationem quando respondetur: ut, *cras, olim, Hic, pridie, heri, postridie*.

*Can:* Quando se etiam porrigit in Ævū.

UBI est accidens habitudinem ad spatium finitum inferens; ut, *domi, foris, in foro, curia, Academia, Dicasterio*. Huc pertinent omnes responsiones ad quæstionem Ubi.

*Divis:* Ubi est vel Circumscriptivum: quod est Corporum Naturalium. vel Definitivum quod est Spirituum creatorum. vel Repletivum quod est solius Dei.

SITUS est accidens ordinem partium substantiæ corporeæ in ubi suo inferens; ut, *stare, accumbere, supinum esse, primum esse, jacere*. Situs Alius est *rectus*, ut, *stare, aut in rectum cubare, primum, supinum esse*. alius *Obliquus*, ut *sedere, genua flectere &c.* alius *naturalis*, qualem & hominis & Bruti describit Ovid. I. *Metamor:* inquit:

*Pro-*

*Pronaq; cum spectent animalia cetera terrã,  
Os homini sublime dedit, Cœlumq; tueri  
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.*

*Naturalis Situs arboris est, ut radices infra, rami supra, truncus vero in medio sit. alius voluntarius, scil. quem homo sponte habet, ut contractio & dilatatio manus, seu pugnus & palma. Ad quem etiam spectat artificialis, ut, situs Turris, partium in horologio, statuis, edibus, picturis &c. & fortuitus, qui fortuito accidit, quales sunt situs inopinatò cadentium, ut si homo vel in faciem forte, vel in latus, vel tergum inopinantèr concidat.*

**HABITUS** est accidens substantiæ corporeæ, notans adjacentiam corporis alterius. Estq; vel naturalis: ut, *cristatum, hirsutum, crinitum, cornutum, squamatum, corticatum, stellatum esse.* vel artificialis; ut *vestitum, rogatum, sagatum, pileatum, tuniceatum, phaleratum esse.*

*Nota:* Tegumentorum nomina in abstracto considerata ad quartam qualitatis speciem pertinent: ut, *Calceus, chirotheca, pallium, tunica, pileum, cultrum.*

Can-

Can: *Habitus mutatio, nullam infert rei mutationem. e.g. si phaleræ demantur eqvo &c.*

POSTPRÆDICAMENTA recenseri solent quinque: 1. Opposita 2. Prius. 3. Simul. 4. Motus, 5. Habere.

*Nota: Hac doctrina equidem scitu est necessaria, non tamen heic loci proponenda, cum de oppositis agatur in locis Topicis, inter argumenta dissentanea. Reliqua vero postprædicamenta hic recensita, partim ad Metaphysicam, partim verò ad Physicam spectant.*

Logica communiter dividitur in **INVENTIONEM & JUDICIUM.**

*Nota: Hac divisio potest tolerari si saltim rectè explicetur, adeo ut per judicium intelligatur & axiomaticum, quod secundam Logicæ partem; & Dianoëticum, quod tertiam partem absolvit. Tripartita tamen divisio, nempe in argumenta seu terminos simplices; propositiones seu Axiomata; & Dianojan cum Illativam seu Syllogismum, tum Ordinativam seu Methodum, rectissima & arti Logicæ maxime propria, censetur.*



## LOGICÆ PRIOR PARS

De

## INVENTIONE

CAP. I.

DE ARGUMENTO & CAUSIS  
IN GENERE.

INVENTIO est pars prior Logicæ de inveniendis argumentis.

ARGUMENTUM est notio Logica simplex ad arguendum Thema affecta.

Nota: *Argumentum dicitur notio simplex, non ἀπλῶς & absolute, quasi omnis omnino esset compositionis expers; sed συνυφιστάτως & respectivè, ad axioma videl: & Dianojan; quod non habeat dispositionem axiomaticeam que constat subiecto & predicato per copulam combinatis; multò minus dianojan admittat.*

Arguere hic significat: respicere, ostendere, declarare, explicare, illustrare, confirmare, probare, refutare, indicare, afficere, demonstrare. atque sic communem omnium argumentorum vim & facultatē

ta

ratem five in dispositione, five extra illam considerentur, complectitur.

THEMA est res, quæ ab argumento arguitur.

*Nota: Hæc descriptio est Thematicis περιεχουσίν & materialiter considerati; ideoque cum argumentum sit περιεχουσίν & formaliter modò definitum; erit etiam thema eodem modò definiendum, quoniam in definiendis notionibus Logicis sumus occupati.*

Thema est notio Logica simplex, quæ ab argumento arguitur. Estque vel simplex, quod sine notionum complexu apprehenditur; vel potius de quo nihil affirmatur aut negatur. ut virtus, lapis, linea, mundus, Respublica, Ecclesia, magistratus exercitus.

*Complexum, quod pluribus notionibus affirmatione vel negatione copulatis, apprehenditur: ut an virtus sit summum bonum? Christus sedet ad dextram DEI Patris. Natura abhorret à vacuo & infinito. Species omnes Mundi in prima creatione sunt productæ.*

Argu-

Argumentum aliud est Artificiale, quod insita & propria vi arguit, aliud inartificiale.

Argumenti artificialis quatuor recensentur classes; 1. continet *Consentanea*, 2. *Dissentanea*, 3. *Comparata*. 4. *Orta*.

Nota: Una eademque res pro diversa consideratione aliud atq; aliud argumenti nomen ascribere potest. Sic homo respectu Creatoris est effectum, respectu corporis materiatum, respectu anime formatum, respectu glorie divinae finitum, respectu suarum actionum causa, respectu virtutis, sanitatis, pulcritudinis, subjectum; respectu domus in qua est, adjunctum; respectu arboris & lapidis disparatum; respectu bullæ vel graminis comparatum; si confertur cum humo, est ortum &c.

CONSENTANEA sunt, quæ cum re quam arguunt consentiunt. Suntque vel absolute consentanea: ut, causa & effectum. vel modo quodam: ut subjectum & adjunctum, antecedens & consequens, connexa seu concomitantia, & Relata.

CAP.

## DE EFFICIENTE.

EFFICIENS est causa externa, à quâ res est;

Nota: Hæc definitio cause est realis & *πραγματικὴ*, sicut & causarum reliquarum; notionaliter autem & *νοηματικὴ* definienda veniunt Causa per Argumentum, seu genus proximum.

Dividitur efficiens variè. Estq; vel.

PROCREANS: quæ rem efficiendo procreat: ut, *Romulus condidit Romam. Spiritus sanctus producit Charitatem, pacem, gaudium, lenitatem, mansuetudinem, fidem, Temperantiam &c. in fidelibus. Timor Domini sapientiam. sol diem.*

CONSERVANS: quæ rem procreatam conservat: ut, *leges conservant Rempublicam. DEUS conservat mundum. salvetur carnes à putredine. otium conservat amorem.*

2. Efficiens est vel PER SE, quæ suâ facultate efficit, Estq; vel:

*Naturalis*, quæ ex solo naturæ instinctu

*Stu agit: ut, apis mellificat. ignis urit. oculus videt. Magnes trahit ferrum. Hematites sanguinem sistit.*

*Voluntaria, quæ destinato consilio & liberâ voluntate agit; ut, DELIS creavit mundum. David commisit adulterium. Diabolus descendit à veritate. Ananias mentitus est coram Spiritu Sancto. Pamphilus vitiavit virginem.*

**Efficiens PER ACCIDENS** est, quæ vi aliena efficit; Estq; vel.

*Præternaturalis, quæ non sua natura, sed per aliquod, quod ei accidit, effectum producit; ut, Febris affert temperantiam. mali mores sunt causa bonarum legum. veritas odii. Philosophia Hæresium. Evangelium odor mortis ad mortem.*

*Nota: Huc refertur casus; ut cum tegula de tecto décidit, & hominem prætereuntem occidit. cum vitrum de mensa cadit & frangitur.*

Vel *Involuntaria*, quæ præter institutum ac consilium suum aliquid efficit; Eaque vel:

*Fortuita, quæ præter intentionem ca-*

D

su

fu fortuito efficit: ut, *fossor agri invenit  
Theaurum. Piscatores Milesii extraxerunt  
aureum tripodem. Hostis pugnans sanavit  
Jasonem Pheræum.*

Vel *Invita*, quæ vi extrinseca cui resistere non potest, ad effectum cogitur. & est vel *coacta*, ut *fur pergit ad patibulum. Lucretia coacta succubuit. Tarchinio superbo. lapis sursum movetur. Bos ad macellum ducitur. Eleazarus carne suillâ vescitur.*

Vel *Imprudens*, quæ per ignorantiam efficit; ut, *Sclopetarius pro cervo interficit hominem. sic per imprudentiam Ovidius vidit arcantem Cesaris. Actæon Dianam conspiciatus est nudam.*

Efficiens est vel *SOLITARIA*, quæ rem sola sine alterius ejusdem ordinis adminiculo efficit; ut, *David prostravit Goliathum. DEUS solus est Creator; Christus solus est Redemptor, Spiritus S. solus est Sanctificator. fides sola justificat. Nuptias solus consensus sine concubitu facit.*

*SOCIA*, quæ cum aliâ ejusdem ordinis causâ ad producendum effectum concurrat: ut, *natura, ars, exercita-*

bio artificem faciunt. Pater & Mater generant liberos. Imperator, Tribuni, viceChilarchi, Magistri Equitum, Centuriones, Decuriones, milites, velites &c. sunt cause Sociæ in bello.

4. Efficiens est vel PRINCIPALIS, quæ in efficiendo primarias partes sibi vendicat; sic Spiritus Sanctus est causa principalis conversionis hominis. Architectus ædificii. CampiMarescallus Militiæ.

MINUS PRINCIPALIS est, quæ secundario cum principali ad actionem concurrat; vel: Impulsiva quæ movet efficientem principalem ad agendum. Eaque vel: Interna, ut Misericordia DEI, vel, externa; ut meritum Christi justificationis nostræ. sic malitia Diaboli est causa interna lapsus humani; hominis superbia vero est causa externa. Causa interna everisionis Sodome & Gomorre fuit invariabilis & immutabilis DEI justitia; Externa verò deplorata & incastigata Sodomorum iniquitas & profligata peccandi libido.

Vel INSTRUMENTALIS, cujus ministerio effectum producitur; ut, calamus

*Scriptoris. Imber sulphureus & flammens  
eversionis Sodoma & Gomorra. verbum DEI  
conversionis hominis.*

5. Efficiens est vel UNIVERSALIS, quæ ex se ad certum effectum determinata non est; estque vel simpliciter; ut DEUS: vel secundum quid, ut astra, quæ in hæc inferiora agunt uniformiter.

Vel PARTICULARIS, quæ ad certum quoddam effectum determinata est: ut, planta causa plantæ; homo hominis; equus equi; canis canis.

6. Efficiens est vel UNIVOCA, quæ effectum sibi in specie similem producit. ut, Elephas Elephantum. Lupus Lupum. Panthera Pantheram. Sciurus Sciurum. Camelus Camelum. Ursus Ursum.

Vel ÆQVIVOCA, quæ effectum sibi in specie dissimilem producit: ut, Sutor calceum. Macharopus gladium. Sartor vestem. Scriniarius arcam, cistam, mensam, eubile, sedeculam.

## CANONES

I. Qualis est causa, tale est effectum;  
& contra. v. c. I. de causa & effecto consi-  
de



deratis secundum esse absolutum, non respectivum. Non ergo sequitur: Pater est causa filii, utiq; filius est necessario causa alterius filii; cum hac consideratio patris sit respectiva, non absoluta. 2. de causa univoca, non equivoca, non ergo sequitur: DEUS, qui est infinitus, eternus &c. est causa Mundi, Ergo Mundus etiam talis est. quia DEUS est causa Mundi equivoca, non univoca. 3. de causis & effectis secundum attributa essentialia, non accidentalia; non igitur valet: Pater est doctus, pius, Professor &c. ergo etiam filius talis est; cum hac attributa non sint essentialia, sed accidentalia.

2. Quidquid est causa causæ, id etiam est causa causati. ut, avus tuus est causa Patris tui, ergo & causa tui. DEUS est causa Cæli & Siderum, ergo & pluvie, tempestatis. v. c. 1. de causis essentialiter subordinatis, ut semper causa superior, per se sit causa inferioris, non per accidens. fallit verò in causis voluntariè agentibus; itemque in causis contingenter subordinatis, sive deficientibus. non ergo valet: DEUS est causa voluntatis humana, voluntas humana est causa peccati, ergo DEUS est causa peccati. cum voluntas

subordinetur quidem DEO in essentialibus, non in accidentalibus, & quatenus est corrupta. deinde voluntas & peccatum non producantur per motum sequela, cum peccatum non fiat ab homine per resultantiam & emanationem, sed longè post productionem voluntatis. 2. Per se, ita natura per se est causa generationis, per accidens vero monstrorum. Sic mali mores sunt causa bonorum legum saltem per accidens. Nec non 3. de causis ejusdem ordinis; non igitur sequitur; generans est causa animæ geniti; anima autem est causa formalis, ergo & generans est causa formalis, confunduntur enim hic diversa causarum genera, Efficiens videlicet & forma.

3. Omnis Efficiens agit propter certum finem. v. C. I. de fine sive reuera, sive apparenter bono; ita furari, adulterium, homicidium committere, & alia scelera patrare, sunt actiones mala, quæ tamen suscipiuntur propter finem apparentur bonum. Et quatenus causa Efficiens bonitate finis movetur; Ita Studiosi molestias devorant, difficultates exorbent & labores varios exantlant propter eruditionem & ejus præmium aliquando consequendum, cujus dulcedine inflammantur, extimulanturque.

4. Nihil agit ultra vires. vel, causa Efficiens non potest alii dare, quod ipsa non habet. scil. 1. vel παθητικῶς, affectivè, formaliter & subjectivè. Ita ignis aqua dat calorem. aqua sibi relicta manus vel alii membro frigus. vel ενεργητικῶς, virtualiter & effective; sic Sol calefacit inferiora. vinum inebriat &c. vel eminenter, ita DEUS dat nobis aures, oculos, manus, facultatem locomotivam &c. quæ ipse non habet, sed aliquid hisce eminentius. Vel secundum naturalem convenientiam; ita pater surdus, cæcus, claudus, generare potest filium, auditu, visu & integritate pedum gaudentem. 2. v. c. de agente principali, non instrumentali, sic semen dicitur esse causa prolis, sic malleus ferreus in manu aurifabri, agit in aurum & argentum, quæ, tamen ferro sunt præstantiora.

5. Causa naturalis est determinata ad unum. v. c. 1. de causa naturali ratione propriæ virtutis, non prout hæc impeditur à potentia causæ superioris. Sic ignis non ussit in fornace Babylonicâ, propter

propter impedimentum à causâ primâ objectum. Sic aquæ Jordanis adinstar murorum assurrexerunt. 2. de uno agendi modo, non vero uno objecto; Sic Sol semper eodem modò agit; quod vero lutum induret, ceram, butyrum liquefaciat, capillum dealbet, & cutem denigret; id evenit ob diversitatem objectorum, seu subjectarum materiarum. 3 De uno contrariorum, sic Sol non potest agere calefaciendo & frigefaciendo, illuminando & obscurando, ascendendo & descendendo.

6. Positis causis naturalibus sufficientibus & non impeditis, si sit admota materia, necessariò ponitur effectus: ut stipule in ignem coniectæ sunt, ergo comburentur. v.c. de necessitate naturæ, non coactionis: sic posito magnete ponitur attractio ferri, si scilicet nihil impediat, ut allium vel Adamas.

7. A causa per accidens & partiali non valet consequentia, non Ergo sequitur: ille aurum terram fodiendo invenit, Ergo & ego. Febris affert temperantiam, ergo est bona. Exempli de causa partiali: ille habet  
 mult-

multos libros, ergo est doctus. Deus vult omnes homines salvos fieri, ergo & omnes salvantur; Nulla consequentia.

8. *Causa Efficiens Voluntaria est libera & indifferens ad actionem. v. c. de iis rebus, quæ sub objecto voluntatis ejus sunt. hinc voluntas DEI non dicitur indifferens ad bonum & malum; cum ejus objectum non possit esse, nisi bonum & verum. unde dicunt Philosophi: indifferentia ad bonum & malum non est de formali ratione libertatis.*

9. *Solitariae causæ solitarius est effectus; ut fides à parte hominis sola est causa justificationis; ergo hæc ei soli adscribenda. Nec obstat: etiam gratia & misericordia divina, ut & merito Christi, justificatio adscribitur. Resp. hæc non excluduntur, sed includuntur. sola dicitur fides, non quod sola existat, sed sola justificet; sola dicitur ex parte nostri, non ex parte DEI, gratiam offerentis & meriti Christi eandem promerentis.*

10. *Causa principalis non excludit secundarias & minus principales. non er-*

go valet: *DEUS* est causa diluvii, ergò non pluvia. *DEUS* dat sapientiam, ergò informatione Præceptorum, libraria supellectile, & jugi exercitatione non est opus. Nulla consequentia.

II. Causæ principalis & instrumentalis una est actio. Sic scriptio una est actio quam producit & scribens & calamus, ille tamen principaliter, hic instrumentaliter. V. C. 1. de instrumentali quatenus est instrumentum, ita malleus, culter, forceps, subula. nunquam in æternum possunt obire munus causæ principalis, cum semper instrumenti vices agant; aliàs prout sunt peculiæ res, peculiarem etiam habent formam & operationem. 2. Earum una est actio sed tamen diversimodè: Sic Cæsis quam securi vel bipenni peragit lignator, est una actio, quæ fit diversimodè, principaliter à lignatore; instrumentaliter vero à securi vel bipenni.

12. Essentia instrumenti consistit in usu. Scili: 1. quatenus actu est instrumentum, Sic Logica quoad entitatem suam absolutam recte dicitur *Ars*; quoad respectivam vero, est

*instrumentum, quod in usu consistit. Et 2. in usu legitimo; non ergo sequitur: opes & divitie sunt instrumenta hominis, illarum igitur essentia consistit in usu, & consequenter sunt dilapidande; dilapidatio non est usus legitimus, sed illegitimus & abusus.*

13. Remotis instrumentis, ad rem efficiendam necessariis, removetur etiam effectum. v. c. *Si instrumenta sunt absolute necessaria, non secundum quid & arbitraria; hinc etiam si cultrum est Instrumentum edendi vel p. tuis secandi, non tamen est simpliciter necessarium, sed tantum secundum quid, unde illo remoto non propterea removetur actus edendi.*

### CAP. III.

*De*

## MATERIA & FORMA.

MATERIA est causa interna ex qua res est: ut, *ex farina panis, ex semine planta, e corio calceus, ex are statua.* Estque sensibilis vel intelligibilis.

SENSILIS est, ex qua materiatum corporeum constat. Estque vel *Immanens*

*nens, quæ actu manet in materiato: ut, aurum poculi aurei. aurum & argentum idoli. lana lanei panni. arboris materia lignum.*

*Transiens, ex quâ essentialiter mutata materiatum constat: ut, ex ovo fit pullus. ex semine transmutato nascitur animal. e vino & cerevisiâ fit acetum. e sanguine generatur caro.*

**INTELLIGIBILIS** est, ex quâ materiatum incorporeum constat: ut orationis materia sunt dictiones. Syllogismi materia tres propositiones. sic intelligibilem materiam habent res Mathematicæ: triangulum, quadrangulum, rhombus, rhomboides.

*Nota: Materia alia est productionis seu generationis, ex quâ materiatum est constitutum; sic Mundus non habet materiam productionis, cum ex nihilo sit creatus, iuxta versiculum: Materiam vobis querere, nulla fuit. habet tamen materiam compositionis, b. e. habet materiam coëxistentem ex quâ compositus est; vel remotam, ut rudem & indigestam molem: vel propinquam, ut Cælum, terram, Elementa.*



## CANONES

1. Si materia est, materiatum esse potest, & contra, scilicet: Physicè & ordinariè, DEUS enim qui non est alligatus ad causas secundas, hinc est eximendus, potest namque aliquid absque præexistente materia condere. ordinariè valet: ut, habeo farinam cum aquâ, ergo possum pinsere panes. Sutor habet corium, ergo potest consuere calceos. Faber non habet ferrum, ergo non potest cudere seram, clavim &c.

2. Cui tribuitur Materia, eidem etiam partes & proprietates materiæ tribuuntur, & contra: ut, Angeli non habent corpus, ergo nec carnem & ossa, nec ire, nec dormire, nec vigilare possunt. animæ non sunt conflatæ ex elementis, ergo nec corruptioni obnoxie. Vas hoc est vitreum, ergo fragile, V. C. I. De materia sensibili, non intelligibili; sic dictionibus, quæ sunt materia orationis; propositionibus, quæ sunt materia Syllogismi, proprietates materiæ non possunt assignari; non enim vel extensio, vel positio partium extra partes, divisibilitas, & mensurabilitas, iis propriè conveniunt. 2. non tam

tam de transeunte, quam permanente. Sic sanguis est materia carnis, non tamen illius proprietates utputà diffluere, rubere &c huic conveniunt; cum sit materia transiens. Ita nives antiquæ & in glaciem indurata, dicuntur materia chrystalli, nempe transiens; proprietates autem nivis non competunt chrystallo, hæc enim non, ceu nix, ad ignem liquefit.

FORMA est causa interna, per quam res est id quod est: ut, anima rationalis est forma hominis. anima equina forma equi. canina canis. felina felis. leonina leonis.

I. Forma est vel INTERNA seu essentialis, quæ ipsam rei essentiam constituit; seu quæ dat esse rei: ut, rationale in homine. huiusmodi formis constant omnia corpora naturalia, quambis earum notitia accurata, nos maximam partem fugiat lateatque. Hæc est vel:

Generica, quæ multis speciebus competit & dat illis esse generale; ut, anima vegetans & sentiens competit homini & bruto.

Speci-

*Vel Specifica, quæ multis individuis competit, & speciei suam largitur esse: ut, anima rationalis homini; quæ multis individuis Ciceroni, Alexandro, Petro, Paulo, communis est. Tali Specificâ formâ gaudent omnes Species mundi.*

*Vel Singularis, seu numerica & individui-  
fica, est, quæ incommunicabilis est ( sc.  
communicatione κατά μεθεξιν, seu essentia-  
lem participationem ) & certi indivi-  
dui propria, ut, forma hujus Laurentii,  
Abrahama, Isaaci, Jacobi, Davidis.*

*Vel EXTERNA seu Accidentalit quæ  
formato non est essentialis, sed extranea;  
seu quæ dat esse accidentale; ut, Musica  
est forma accidentalit Musici; Philosophia  
forma Philosophi. Medicina Medici. Ma-  
thematica Mathematici. Methodica dispositio  
Præceptorum, forma Artis.*

2. Forma est vel TOTALIS & ad-  
æquata formato; ut, anima rationalis,  
hominis. anima lupina lupi. anima ursina  
ursi. vel PARTIALIS, forma alicujus  
partis: ut, forma oculi, auris, capitis, ma-  
nuum, pedum, digitorum.

3. for-

3. forma est vel **NATURALIS**, quæ â naturâ inest. ut, *forma Cæli, Stellarum, Arborum, Metallorum, Animalium &c.* vel **ARTIFICIALIS**, quæ ab arte proficiscitur: ut *figura statuae, scamni, mensæ, cistæ, lecti, capsæ.*

4. Forma est vel **MATERIALIS**, vel **IMMATERIALIS**; illa extra materiam existere non potest; hæc vero potest existere extra materiam; *sic sola anima rationalis est forma immaterialis, reliquæ omnes materiales.*

## CANONES

1. Posita forma essentiali in materia benè disposita, ponitur res ipsa & contra: ut *equus habet animam sentientem, ergo est animal. arbor non habet animam sentientem, ergo non est anima!*

Nota: Notanter dicitur in canone: *posita forma in materiâ benè disposita, poni rem ipsam; unde quamvis in utero materno, post factam conceptionem, ponatur anima hominis per traducem propagata, non tamen statim ponitur homo perfectus, cum membra ex materia presenti sint etiamnum efformanda.*

*In Virum Juvenem*

Svavitate Morum Literarumque  
cultu egregium,

DN. JONAM CREEDEN/

Wex: Smol.

Amicū & Commilitem per dilectum.

**Q**ui causas rerum complecti mente sagaci  
attentat, sapiens is doctus esse puratur.  
Sedahl causarum quoniam documenta tenere

niteris; ergo tibi *praesentia Numina Vatum*  
applaudunt, coeptisque tuis eventa secunda  
exoptant, referetque olim te *diva caterva*  
*Musarum*, in numerum *illorum*, *Tritonia*  
*Pallas*

quos docuit, variā claros & reddidit Arte.  
Macte animo, coeptamque viam decurrere  
perge;

siet ut optatam demum contingere metam  
cum plausu possis. *Superi Regnator Olympi*  
inceptis faveat! cunctos & dirigat ausus!

*L. Mjz. quamvis festinatò  
scripsit*

Dab. Aboæ 6. Idus  
Febr. 1694.

SIMON V&PDI  
Met. & Log. Prof. Ord.  
Pastor Pijckensis.

*Pereximio atque Præstantissimo*

DN. JONÆ FREDAHJ

Amico suo, ut à teneris probatissimo, ita & lemper dilectissimo, dum Disputationem Logicam dexterrimè defenderet.

*Carmen Gratulatorium.*

**C**Armina Pierides cantate Heliconis alumno,  
Qui defendentis partes agit ore politico  
Rebus de gravibus: Causarū namq; per amplios  
Campos qui poterit illustrare, & pandere ritè  
Commoda quæ hinc veniunt, fortunæ est munere dives;

Nam nimium vanis fabricatur sumptibus ædes,  
Qui solido nescit fondo sua rectè locare:  
Et nimium segni tellurem vomere sulcat,  
Flectere qui nescit durissima colla bovina;  
Sic serò aut nunquam lingvas perdiscet & artes;  
Rerum qui nescit varias dignoscere causas;  
Sunt etenim causæ rerum fundamenta firma,  
Quæ sine nullus erit labor unquã frugifer ulli.  
Es felix igitur phœbeis artibus auctus,  
Nunc qui palladiâ pergis certare palæstrâ;  
Ergo tuam famam meritam Smolandia inaudit,  
Atque tuos ordo doctorum prædicat ausus.  
Macte tuis studiis; florens signat arista,  
Quanta metenda seges genii, quantumq; valebit  
Assiduum sophiæ studium ac industria solers.

Per-

Perge velut pergis; specimen contexere Marte  
Ut proprio possis, patriæ decus auxiliumque  
Evades tandem. Superi dent vela secunda!  
Vive diu felix, reviresce vigesce valeque!

J. MOLLIN,

*Ad Virum-Juvenem*

Qua natales & artium liberalium culturam  
ornatissimum, qua pietatem & morum  
elegantiam condecoratissimum,

DN. JONAM ERSEDUS  
Amicum conjunctissimum,

*De nobili materia publicè disputaturum*

GRATULATIO:

**A**rdua crede via est multisq; obstructa periculis  
Ducens ad sacras Musas & culmina Pindi:

Litera Pythagore quam monstrat imagine clara,

Dum dubiò flexu partes se findit in ambas,

Namq; duo vite discedunt cornua nostræ

Virtutis dextrum vitii tenet ecce sinistrum.

Ambiguum licet hoc bivium spectantibus offert

Ingressum, tamen haud te JONA doctè fefellit,

Sidere felici felix iter arte requiris,

Ingeniumq; tuum dives sat laudibus ornas

Dumq; Chori Logici sectator fervidus audis,

Principia & rerū causas, forte abdita scitu, (lia,

Jā per amæde, Ekedahl/versat tua docta Tha-

Sis

*Sis felix cœpto? sis felix carmine trito:  
Felix qui potuit rerum cognoscere causas.  
Ti comes ecce fuit virtus conjuncta labore,  
Quo duce difficilem facilemque viam tibi reddis,  
Pergito sic porro laus sit tibi commoda meta  
Et tibi Castalides dent prœmia justa laborum.  
Sic licet exiguum tamen esto hoc pignus amoris.*

**O LAUS Aste-Bohm.**

---

Præstantissime atq; Ornatissime,  
DN. JONA ERSDORF/  
Humanioris literaturæ Studiolo solertissime,  
Amice & Conterraneæ integerrime.

*Gratulatio:*

**L**aus merito jure adtribuenda est omnibus  
illis,  
Qui cupiunt Musas atque ingenuas colere artes,  
Et nulli istorum juvenum laus competit hæcce,  
Qui effugiunt Musas, qui artes contempnere tentant,  
Cum videam logicam præsentem materiem hancce  
Comperio ex illa quod tu doctissime JONA  
Jam jam discupas rerum cognoscere causas,  
Quæ tibi nunc possunt bene notas redderemus,  
Et siquidem cupias illarum dogmata scire,  
Sicut materia hæc præsens testatur aperte,  
Ingens sic merito veniat tibi laus tribuenda,  
Qui nunc & semper gnavus vigilansque fuisti,

JOHAN. Lönnwall.